Circumstantia rerum temporalium mentis acumen dilabitur, sed litterarum inscriptionibus rerum gestarum series confirmatur. Inclarescat tam futuris quam presentibus, quod
cum ego Bernardus de Lippia, imperatoria maiestate favente, in bonis proprietatis michi cedentibus civitatem novellam plantarem, consilioque amicorum meorum acceden-
te beato Petro in Colonia proprietatem eo tenore assignavi, ut ego et posteri mei beneficio gaudentes quieta possessione perfruamur. Cum igitur hec novella planta-
cio et incolis et municionibus adhuc esset infirma, ego de consilio amicorum meorum incolis liberum contuli arbitrium, ut iura antiqiora et meliora de quacumque vellet
eligerent. Tande habito inter se consilio iura Susatiensium sub ea forma elegerunt decreverunt ut si qua ex eis displiceret, illa abiceret et aliis sibi ydoneis gau-
derent; que etiam in ordine communi consensu conscribi decrevimus. Primum est quod omnis sanguinis effusio facta sine acumine armorum non michi vel alicui he-
redi meo, sed consulibus cedat iudicare, eo tenore ut muniendo loco exinde omnis proventus emergens cedat. Secundum: si aliquis impulsando vel bycarando vel
aliis scilicet statera iusta et mensuris excesserit, consules super hoc discuciant et iudicent. Tercium est quod civis concivem extra civitatem in causam nisi per sententiam accesserit tra-
here non debet; sed etiam arma ante sententiam latam debet civis concivem proclamare. Quartum est: si civis concivem occiderit et si deprehensus fuerit, secundum quod iustum est
iudicatur; sed si domum vel res alias habuerit, non iudicantur, sed cedunt suis heredibus. Quintum est quod foro annuali duobus diebus ante et post iudicii rigore nullus hominum
astringitur, nisi in recenti aliquo exigat vel quis criminatus deprehendatur. Eodem modo tres dies in ebdomada scilicet dominice dies, feria secunda et feria quinta libere sunt concesse. Sextum est: si
alicui civium equus furatus fuit et postremo inventum infra civitatem iudicii nulla pars meo cedit. Septimum est: quicumque infra civitatem sine contradictione vel obiectione
anno et die moratus fuerit et postea quis eum arguendo pulsaverit, de obiectis se potest expurgare salvo iure. Octavum est quod meum si alicuius mei heredis est sine communi
consensu prepositum instituere, nec etiam consules nec iudices sine consensu civium meum vel heredum meorum sit statuere. Nonum est quod ego in aquilonari parte civitatis
de bonis meis tam ligna quam paschua civibus concessi ita ut tempore oportuno inde communiter utantur. Decimum: si civis concivem edificando vel sepiendo contur-
baverit, iudices in parte illa civitatis constituti super hoc discuciant; sed si vires ipsorum superaverit, consulibus referatur et ipsi iudicabunt. Undecimum est: quicumque civium
moriatur et infra civitatem carens uxore herede omnem substantiam ei [illegible] multa sive modica sit consules integraliter [illegible] si infra annum et diem legitimus
nullus secundum iuris racionem exquisierit, michi et posteris meis assignabitur. Duodecimum est: quicumque civium cum ancilla sua [illegible] uxore vel cum alia tercio gradu consangui-
nitatis sibi iuncta virum fornicantem deprehendat, ipsi eam honorifice desponset; qui si legitime contrahere cum ipsa omnimodis noluerit ut contempserit, pro eo quod infamem
eam reddidit et ad nubendum ingratam fecit, ei decentes nuptias amministrabit. Tercium decimum est quod omnibus tam advenis quam habitatoribus thelonei libertas est concessa.
Quartum decimum est: quod si convictus iudici quatuor solidos vadiavit, ei denarios dabit sex et si testibus fuit convictus, si quid ultra plus fuit iuri civitatis ob-
sistat. Quintum decimum est ut nullus civium a me vel ab aliquo vice mea gerente extra civitatem causetur nisi aliqua incommoditate turbetur. Sextum decimum est ne a me vel posteris meis absque consensu consulum
et civium civitati iudex instituatur, nec illo iudicio quod advocatie placitum dicitur aggravetur. Scriptum hoc sigillo Hermanni filii mei communivi, cui et mea omnia resignavi, eo tempore
cum ab uxore mea Helewige licentia accepta Livonie partes deo militaturus intravi.